



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Articulus VIII. An nostra sententia aduersetur doctrinæ D. Thomæ ejusque
Interpp?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

illis cum formidine oppositi, quot enim aliis doctrinæ Adversariorum [imò hæc ipsa, quâ nobis dissentiant] forent vitiosæ, quis absque peccato S. Eucharistiam accederet, cum non nisi de statu gratiæ probabiliter opinari possit? sed est prava animi dispositio, quâ quis scire se putat, quod nescit, & objecto fallibiliter apparenti ex temerario voluntatis affectu firmum præbet assensum. Ita se explicat ipse S. D. qui cum dicto libris genera hominum merito improbanda dixisset: *Primum, inquit, est opinantium, id est eorum, qui arbitrantur scire, quod nescimus.* Neque tertio loco D. Augustinus est nobis contrarius, qui ibidem loquitur de Donatista prædicte dubitante, & ex una parte habente certitudinem, ex altera verò non habente prædicam probabilitatem honestatis, ubi certa incertis præferenda aliter concedimus.

Multò clariora sunt in rem nostram SS. PP. testimonia & exempla. Nam prædictus D. Augustinus l. 1. de adulterin. conjug. c. 16. inter oppositas sententias, quarum una dicebat catechumenos subito paroxismo oppressos, quo baptismum petere, & ad interrogata respondere prohiberetur, esse baptizandos; altera, sensibus & signis destitutum non posse licite baptizari contendebat, ipse benigniorem amplectitur, nec tamen damnat oppositam, sed illam in sua probabilitate relinquit. Mox c. 18. eandem doctrinam ad illos, qui viventium conjugis copulati tenent adulterina consortia, extendit, rationem dans: *quis enim novit, utrum fortassis adulterina carnis illecebrâ usque ad baptismum staterant detineri?* Tandem eodem cap. id ipsum affirmat absque distinctione de Sacramento Pœnitentiæ: *Que autem baptismatis, eodem reconciliationis est causa, si forte pœnitentiam finienda vitæ periculum præcaperit, neque ipsos ex hac vitâ sine artha sua pacis exire velle debet mater Ecclesiæ.* Ubi tamen loqui videatur de pœnitente, non tamen loquitur de illo, cujus pœnitentia per signa manifestatur, sed ex vita vel fide Christiana præsumitur; aliâ ipsius dicta non concordarent. Ecce hic in secundo saltem & tertio casu D. Augustinus

amplectitur opinionem plurimorum præsertim nobis adversantium iudicio minùs tutam, & minùs probabilem? & quamvis amplecteretur magis probabilem, quia tamen oppositam non condemnat, etiam illam putat esse tutam & probabilem.

De S. Cypriano supra mentionem fecimus, qui decrevit, ab hæreticis baptizatos, cum ad Ecclesiam redirent, esse rebaptizandos; quæ opinio [nuac damnata & erronea] propter bonam fidem & probabilem persuasionem sanctissimi Martyris excusatur, quantumvis esset minùs probabilis, utpote communiore Ecclesiæ consuetudini contraria. Zacharias Papa à D. Virgilio admonitus, quòd D. Bonifacius quosdam, ex imperitia baptizantis in nomine Patriæ, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatos rebaptizasset, factum reprehendit, sed de peccato nequaquam accusat, haud alia de causa, nisi quòd Pontifex D. Bonifacium bonâ fide in probabili ratione fundatâ crederet excusatum. Hinc mediâ viâ nec minis arctando, nec laxando conscientias incedendum est, & fugienda zeli exorbitantis indiscretio juxta D. Ambrosii monicum in Pl. 118. serm. 5. *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem DEI, sed non secundam conscientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere discipline, opus virtutis exigere, sed inscitia in eo est, quia non comparantur nature, non æstimant possibilitatem.*

Ad rescripta SS. Pontiff. & Canones, qui ex corpore juris opponuntur disp. 12. a. 4. §. 1. responsum est: qui benignæ sententiæ & nostræ favent, sup. art. 5. §. 3. n. 5. & 6. referuntur. Ad monitum Leonis Papæ in cap. sicut quedam, dist. 15. ut in iis, que vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. PP. invenitur adversum. Cum ergo ex hæcenus dictis & disputatis constet, doctrinam sententiæ probabilis à nobis explicatam, neque præceptis Evangelicis contrariam, nec SS. Patrum decretis esse adversam, licite illam sequemur in praxi.

ARTICULUS VIII.

An nostra sententia adversetur doctrinæ S. Th. ejusque

Interpretum?

SUMMARIÆ.

1. Adversariorum opinio de antiquitate suæ sententiæ.
2. Textus, qui opponuntur ex S. D.
3. Ostenditur, expositionem rigorosâ sententiæ esse contrariam menti D. Thomæ.
4. Eruiitur genuinus sensus & mens D. Th. in primo textu.
5. Exponuntur reliquæ autoritates.
6. Firmatur expositio auctoritate antiquorum Thomistarum.
7. Adducuntur plures DD. ex Schola D. Thomæ pro benignâ sententiâ.
8. Ex quibus colligitur, benigniorem sententiam esse verè Thomisticam.
9. Nullo modo novitium dogma, sed ratione, & auctoritate potiorum.
10. Nostra sententia ex principiis adversariorum secuta in praxi.
11. Est licita etiam in articulo mortis.
12. Regule reperiendi certam probabilitatem.
13. Sententia benigna etiam à Spiritu S.

§. I.

Proponitur auctoritas D. Th.

Potissimum oppugnationis robur collocant adversarii in D. Thomæ, Scholæque Thomisticæ auctoritate, cui benignam sententiam adversari, & hanc opinioforum Probabilistarum sententiam

centiam antiquis omnibus suspectam fuisse dictant. Imò Dominicanam familiam, inquit Vincent. Baron. à S. Doctore, in cuius verba jurant, hoc dogma inconcessum habere, quod agitur contra legem, semper esse malum, nec excusari per hoc, quòd sit secundum conscientiam, quacunque probabilitate munitam, que incertitudinem nunquam sit evasura, quamdiu reclamabunt Doctores graves, & contra stabunt rationum momenta. Jul. Mercurus plus audet, & p. 2. a. 26. antiquitatem sententiae rigorosae refert ad usque tempora Apostolorum, quod exinde probat: Quia quatuor ultimis seculis elapsis S. Thomas, Scotus, S. Antonium, Gerson, Jo. Major, Adrianus, & alii docuerunt, non licere sequi minus tutam, seu minus probabilem: non est autem verisimile, huiusmodi Doctores voluisse scribere contra regulam, qua communiter tunc habebatur in Ecclesia. Nunc igitur primò Angelici Doctores, cuius illibatam doctrinam, ex perpetuo nostrae Universitatis instituto & more, pro mea sententia regula & cynosura colloco, verba & ex his mentem inspiciamus.

2. Primus igitur & praecipuae considerationis locus est ex quodl. 8. S. Th. a. 13. ubi instituta quaestione, utrum ille, qui habet plures praebendas, peccet? sic resolvit. *Aut ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures praebendas &c. in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic, si manente tali dubitatione plures praebendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem, Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic se non committit discrimini, nec peccat.* Ex quo videtur inferendum: sed qui sequitur opinionem probabilem, praesertim minus probabilem contra alteram faventem legi, hoc ipso in dubitationem adducitur: ergo committit se periculo peccandi: ergo peccat.

Accedit, quòd ibidem in e. art. dicat S. D. *Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quòd est secundum conscientiam.* Submittitur: sed qui sequitur minus probabilem contra legem, exponit se periculo agendi contra legem: ergo exponit se periculo peccandi: & si actus revera sit contra legem, peccabit, non excusandus per conscientiam probabilem.

Adducuntur praeterea alii duo textus ex quodl. 9. a. 15. in corp. *error, quo non creditur peccatum mortale, non excusatur à toto, licet forte à tanto.* Ergo sequens parte minus tutam, si erret, ex mente S. D. non excusabitur à toto &c. Et rursus ibid. *omnis quaestio, in qua de peccato mortali quaeritur, nisi expresse veritas habeatur, periculosè determinatur.* Sed si liceret utramque opinionem pro libitu sequi, non esset tam operosè & scrupulosè defudandum in resolutione quaestionis: ergo. Tandem quodl. 3. a. 10. *In his, quae pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri, in talibus enim ignorantia non excusatur.*

§. II.

Expenditur eadem auctoritas, & exponitur.

3. Existimo tamen, D. Thomam non satis Thomisticè in rigorosa sententia patrocinium

trahi, cum explicatio & applicatio istorum verborum ab adversariis facta videatur ipsi S. D. contradicere, & eundem contradictionis arguere. Nam adversarii dicunt, & ex textu, ut patet, colligunt: *Qui in contrarietate opinionum peccat sibi licitum esse habere plures praebendas, semper in dubitationem inducitur, & ideo peccat.* & nonquam sequi potest minus tutam faventem commendo, D. Thomas teste Jo. à S. Th. disp. 12. a. 1. n. 14. dicit: *Non semper aliquis ex contrariis opinionum in dubitationem adducitur, nec proinde peccat.* Ita habet, vel potius supponit cit. quodl. 8. a. 13. in fin.

Item S. D. ibidem decernit, quòd sequens opinionem faventem commodo contra legem habendo plures praebendas, quae est pars minus-tuta, & fortè minus probabilis, modo non habet dubitationem, non peccat. Adversarii dicunt, & colligunt sua opinione ex S. D., errantem contra legem in jure naturali nunquam excusari à peccato, vel quia invincibilis error non excusatur in jure naturali, ut vult Janfenius cum suis collateralibus; vel quia non detur invincibilis ignorantia juris naturalis, ut volunt Smetich, Fagnanus, Vincen. Baron. Contenson.

D. Thomas affirmat omnem invincibilem errorem excusare à peccato, neque distinguit inter ignorantiam juris naturalis & positivae. Ita enim inquit cit. quodl. 8. a. 15. *Error conscientiae quandoque habet vim absolventis, seu excusantis, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quae quis scire non potest, vel scire non tenetur.* Ita tali casu quamvis factum sit de se mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccare venialiter. Et hoc ipsum docet ex instituto 1. 2. q. 6. a. 3. de q. 17. de verit. a. 3. & 4. Quòd verò de jure naturalis, & invincibilis ignorantia, ex fundamento ejusdem S. D. distinguunt inter praecepta naturalia primaria & secundaria, & antiquiorum Thomistarum sententia dictum est in disp. 2. §. 2. *Aut ergo adversarii D. Thomam contra suam mentem explicent, aut faciunt ipsum contradicentem sibi. Neutro sanè modo Thomisticè.*

Genuinum igitur sensum & mentem D. Thomae ex ipsorum contextu, tum ex antiquiorum Thomistarum interpretatione eruamus. Illa est mens & assertio Divi Thomae, quam ponit in corpore articuli per modum scopi ac centri, quo rotas articuli discursus collimat, illa non est assertio D. Thomae, quam sibi ipsi solvendum objicit: sed opinionem & principalem scrupulum adversariorum sibi ipsi objicit. Ita enim inquit cit. a. 15. circa 3. sic proceditur. *Videtur, quòd ille, qui habet plures praebendas, peccet ex hoc ipso, quòd opinioniones Magistrorum sunt in contrarium. Quicunque enim committit se discrimini in his, quae sunt ad salutem, peccat: sed iste committit se discrimini, ut videtur, cum faciat contra multorum peritorum sententiam: ergo videtur, quòd peccet. En! ipsissimam adversariorum argumentationem! Concludit verò corpus articuli verbum præ allegatis distinguendo: *Aut ex contrariis opinionum in dubitationem inducitur manente dubitatione habet plures praebendas, & sic peccat: aut in nullam dubitationem adducitur, & sic non peccat.**

inquit se discrimini, nec peccat. Et hoc est, quod nos asserimus, videlicet illum, qui non deposito dubio cum practica formidine sequitur sententiam minus tutam, peccare; qui vero practice & rationabiliter non dubitat, vel formidat, ut in conspectu duarum adversantium opinionum probabilius, [hæc enim est hypothesis articuli] fieri posse expresse supponit S. D. tum in corp. tum in arg. Sed contra, quod per omnia respondet cum ultimata resolutione, illum non peccare. In adversariorum autem doctrina S. D. hanc questionem tali modo resolvere nequaquam poruisset; nam per ipsos hærens inter duas opiniones probabiles non potest alteri parti dare determinatum assensum; non potest non practice dubitare de honestate actionis; non potest non versari in periculo peccati eligendo partem minus tutam æque vel minus probabilem, qualis hic est, habere plures præbendas; nec potest in hoc peccato, ut pote versante in materia Juris naturalis operans per bonam fidem & invincibilem ignorantiam excusari. Debuisse igitur Angelicus Præceptor à suis discipulis aliam respondendi viam dicere, & dicere, inter contrarias Magistrorum opiniones constitutum, nisi viam tutiorem eligat, & relicta beneficiorum pluralitate sese peccandi periculo eximat, peccare.

Altera auctoritas ex quodl. 9. à 15. vel loquitur de errore invincibili, & sic nimium probat: quia etiam invincibilem ignorantiam facit inexcusabilem, quod nec adversarii extra partes Jansenii admisserint. Si de vincibili [uti exponi debet] nostram sententiam non oppugnat.

Tertia ex eodem loco est ipsis adversariis solvenda. Si enim in controversia de peccato mortali, semper contra libertatem ad evitandum periculum peccati [ita volunt adversarii] quod in materia Juris naturalis per ignorantiam invincibilem, & auctoritatem magistrorum non evitatur, ferenda est sententia, non est scrupulosa indagatio, & deliberatio de sententiæ determinatione instituenda. Cur ergo est periculosa determinatio? Est respectu ipsius Magistri docentis, ex una parte, ne plausibiles aliquas & fucatas rationes pro solidis & probabilibus prehensens ad laxitatem viam aperiat; ex altera parte, ne onera indebitè multiplicans sic causa, ut homines contra conscientiam peccent, quod ex rigida adversariorum sententia facile evenire potest.

Quarta ex quodl. 3. a. 10. in sensu adversariorum rursus nimium probat, ut primum in responsione ad 2. auctoritatem diximus, subsistit verò in sensu D. Th. quem ipse se explicans & concludens ratum subjungit: *Qui ergo assensit opinioni alicujus Magistri contra expressum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publice tenetur secundum Ecclesie auctoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Vides, D. Th. loqui de sequela opinionis non probabiles, de qua disputamus, sed improbabilis, utpote quæ est contra expressam Scripturam, Ecclesie auctoritatem &c. unde & confirmat suam doctrinam: *alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii &c. qui utique non probabiles, sed maxime improbabiles & hæreticas sententias docuerunt.* Unde cum exceptio firmet regulam, sic potius

R. P. Mezger, Theol. Schol. Tom. II.

contra adversarios vertitur argumentum: Qui contra expressum Scripturæ vel Ecclesie testimonium sequitur erroneam opinionem Magistri, non excusatur: ergo à sensu contrario si non sit contra expressum Scripturæ testimonium &c. excusatur.

Ad stipulantur antiqui DD. & præclara Scholæ Thomistica lumina, in primis D. Antoninus, qui locum è quodl. 8. objectum pridem ita resolvit. t. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. *Hæc verba D. Thomæ [quod agitur contra legem, semper est malum &c.] non possunt intelligi nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesie determinatione, quod sit contra legem DEI, & non de illis intelligit, ubi non apparet: alias sibi contradiceret in eodem libro.* Ad illud, quod D. Th. dicit, peccare mortaliter, qui operatur manente dubitatione, an sit peccatum mortale, dicit verum esse, *sumendo proprie & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, neque magis declinat quis ad unam, quam ad aliam, & quod ille, qui ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, operando non peccet, causam subjungit: quia talis non operatur in dubio mortalis, sed secundum opinionem probabilem.* Itane dicunt Baronius, Contenson, &c. Eadem est explicatio Joannis à S. Th. loc. cit. in omni D. Thomæ doctrina profundissimè versati, & ex eo quoque capite in hac materia suspicendi, quod Philippo IV. Regi Hispaniæ fuit à Confessionibus, tantoque magis variarum opinionum & practicatorum casuum, quorum nullibi major, quam in aulis copia, peritus. Ita pariter exponunt D. Thomam Sylvester in Summa V. opinio q. 1. & M. Joannes Nider in consolatario timorata conscientie, p. 3. c. 11. & plures, quorum verba relatà à Terillo, & à Mar. de Moya tr. q. 6. §. 4. brevitate causa prætermittit.

Licet quæque opinionis minus tuta, tamen si minus probabilis, delectum suadent antiqui & gravissimi ex eadem D. Thomæ Schola Magistri & Doctores, relati magno numero à prædictis Terillo, de Moya, & Stephano de Champs in quest. facti, quos inter præcipui sint Barthol. Ledesma in tr. de Sacram. pœnit. diff. 14. Didacus Alvarez Archiepisc. Tranenensis in 1. 2. disp. 80. asserens, quod hanc sententiam teneant, Magister Medina, & alii doctissimi Thomistæ. Dominicus Bannez, in 1. 2. q. 10. a. 1. dub. 3. conclus. 4. dicens: *Dicimus, quod de opinionibus prioris generis [quæ versantur circa actionem exercendam, ut an aliquis contractus sit licitus?] verum est, posse hominem sequi probabilem opinionem relicta tutiori & probabiliori.* Petrus Ledesma, 40. annis Theologiæ Professor, licitum usum sententiæ minus probabiles ad ipsum usque Judicem extendit in Summ. p. 2. tr. 8. cap. 22. M. Prado to. 1. Theolog. Moral. cap. 1. q. 4. §. 3. n. 12. excusat à peccato amplectentem opinionem minus tutam æque probabilem ac est contraria: *Nam in practica, inquit, habet certitudinem moralem, quod rectè operetur, quia quæsità veritate, quantum potuit, sine errore, invincibiliter ignorat.* Expressissime nostram sententiam tuentur Jo. Ildefonsus, Bapt. Cæsarug. in Commentariis super 1. & 2. jussu Capituli Generalis anno 1644. Romæ congregati editis, disp. 208. dub. 8. fragm. 2. n. 677.

X a & ad

Et addit seq. fragm. 3. n. 684. sequens opinionem probabilem, nulli se exponit periculo peccandi, nam etsi illa esset falsa, & revera esset peccatum, ipse excusatur ab illo, sequendo quod probabile censet. Non minus Jo. à S. Th. cit. disp. 12. a. 3. n. 10. expresse dicit: *Posita ista probabilitate practica & prudenti, quacunque dubitationes speculative insurgant, [que omnino insurgunt, dum non datur evidentia de opposito] aut etiamsi altera pars securior & tutior, seu probabilior videatur, non tenemur id sequi, aut omittere id, quod absolute & simpliciter prudens est, & prudenter regulatum.*

8. Nunquam igitur orbi literario Adversarii persuadebunt, sententiam de licito usu minus tutam, minusque probabilem opinionis intra debitos cancellos restrictam, esse D. Thomæ, aut Thomisticæ doctrinæ contrariam; quippe quam ad doctrinæ Thomisticæ consequentiam multo magis accommodam docent Thomistæ omni exceptione majores, autoritate & numero potiores, ut proinde si trahatur in controversiam, an benigna vel rigida sententia sit magis Thomistica, ex ipsorummet Adversariorum principiis pro nostra & benigna sit standum, quippe pro qua militat consequentia doctrinæ D. Thomæ, ac tot tantique Thomistæ per tot annos Scriptis Angel. Doct. immensissimi, & antiquiores, qui in media literarum pace nullis etiamnum apologeticis satyris lacessiti, cum de sinistro affectu aut passione nullatenus possent esse suspecti, pacatissimo animo suam dixere sententiam, ut penè nefas sit dubitare, quin magno excessu sit probabilior, benignam sententiam esse quam non esse Thomisticam. Multo minus Adversarii persuadebunt, hanc de probabilitate sententiam esse novitium dogma, & neotericorum commentum; oppositum quippe partim ex dictis constat, partim ex eo, quod Terillus Auctores à se inspectos à tribus faculis, ultra 130., & in istis sanctitate & pietate conspicuos Albertum Magnum, D. Antoninum, D. Bonaventuram, Joannem Niderum, Joannem Gersonem &c. recenset, & i super provocet adversarios, ut vel unum ex antiquioribus referat, qui hanc communem D. Antonini, Gersonis, Nideri sententiam impugnarit. Addit Stephan. de Champs, si quos antiquiores in suas partes vocant adversarii, illos vel loqui de dubio vero & practico, vel de ignorantia vincibili, vel in particulari casu, in quo vitandum est damnum proximi ex lege justitiæ, vel charitatis.

9. Non est igitur nova hæc nostra sententia, sed noviter agitata, postquam sententiarum probabilitas deflexit in laxitatem, & quorundam intempestivus rigor utramque confudit in unum. Limitata, quam propugnamus, probabilitas, mediâ ideoque securâ incedit viâ, quam apud Esparz. append. a. 273. suadet D. Bonaventura. Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta, nam prima generat presumptionem, secunda desperationem. Item prima dicit sepe malum bonum, secunda contra bonum malum. Item prima sepe salvat damnandum, secunda verò damnat salvandum. Hæc S. D. In eundem sensum loquuntur D. Antoninus sup. cit. & Jo. Gerson l. de vit. spirit. lect. 4. coroll. 11. Ex his, inquit, elicio pro Doctoribus Theologis doctrinam salutarem, ne sint fa-

cilis asserere, actiones aliquas, antomissionem peccata mortalia. Rationem dat: Quia per tales assertiones publicas nimis datur, generalis, & strictas, præsertim in non certissimis, nequaquam eruntur homines è luto peccatorum, sed in illud profundius quia desperatiùs, immerguntur. Quod prodest, imò quid non obest coarctare plus iusto modum datum DEI, quod est larum nimis? quid ex parte amarius, graviusq. reddere illud Christi jugum, quod suave est, & onus leve? &c.

Oblequimur huic monito, imò ipsorum Adversariorum principiis, dum sequimur benignam sententiam, ceu ratione, & multo maxime auctoritate probabilior: quam à pluribus sacralibus viri litteris & pietate clarissimi sua praxi & doctrinâ comprobant, quam in omni gradu, statu, Religione, Academiis undequaque celeberrimis doceri Summo Pontifici, tolerante cœcitate, docuit illam ex Sorbona Parisiensis Lambertus, & Gamachæus; ex Lovaniensi [celle de Champs] Joa. Malderus; ex Duacena Syrinus; ex Salmanticensi Basilius Poncius, Petrus Cornelius, &c. ex Complutensi Petrus de Lora; ex Ingolstadtensi Haunoldus, Erhard, Illung; ex Græcensi Amicus, Rosmer. Docuerunt ut jam relatos ex D. Dominici familia Thomistas, & DD. Societatis J. de quibus constat, præteream] ex ordine S. Benedicti Abbas Panormitanus ad e. Capellanus, de ferriis n. 6. dicens: Notandum ex hac glossa sic intellecta, quod non peccat non servans jus præcepti, ubi sunt varæ opiniones, licet postea appareat contrariam opinionem fuisse veram, & aliam, quæ tenebatur, non subtiliter investigatam. Et pro hoc adducitur &c. Carmuel, Sairus, Illustriss. Reding. Ex D. Augustini prædictus Poncius, Michael Salonus, & Gibbon; ex Carmelitis Cornejo. Jo. Bapt. de Lezana & alii; ex Cisterciensibus prædictus Petrus de Lorca, Petrus à S. Joseph, Fulienis. Ex Carthusianis Josephus Rosiel. Ex D. Francisci familia, subtili Doctore addita, Josephus Angles, Jo. Poncius, Petrus Marchantius, Guillelmus Herinx; ex Capucinis Eligius Bassus, Ludovicus Caspensis; ex Clericis Regularibus Zacharias Pasqualigus, Antoninus Diava, & alii, de quibus vide Stephan. de Champs loc. cit.

§. III.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò, Nostram de probabilitate sententiam etiam secundum principia Adversariorum esse securam in praxi. Nam iuxta Fagnanum sententia probabilior est moraliter certa: nostra est probabilior; tamen enim ex rationum motivis non esset, fieret tamen multo probabilior ex pondere autoritatis; ergo. Rationis Mercorus p. 3. art. 7. concedit, licitum viciam sententiæ minus probabilis faventis libertati, si nomine partis probabilis intelligatur pars rata, & nomine probabilioris tutior, seu, ut alii dicunt, nomine partis probabilis intelligatur ea pars, quæ quis eligeret, esset prudens, si verò oppositam probabilior eligeret, esset magis prudens, quo modo [inquit] probabilitas accipitur, ut est conscientia objecti prudentia, sed hoc, & nil aliud est, quod dicimus, & sentimus. Is ipse post pauca iterum concedit.

concedit, si minus probabili ex motivo intrinseco favens libertati, per motivum extrinsecum reddatur moraliter certa. Exemplum ponit de existimante ex rationibus intrinsecis probabilis esse, sibi non licere in die festo opus servile per horam; is tamen si advertat, quod persona Religiosa, doctus, & DEL timorem habentes faciunt laborare suos famulos per horam in die festo extra casum necessitatis, ex hoc tanquam extrinseco motivo potest sequi sententiam, quæ ipsi apparet minus probabili ex motivo intrinseco. Sed quis dubitet, nostram sententiam doceri, teneri, & practicari a personis Religiosis, doctis, DEUM timentibus &c.? ergo nostra sententia, tametsi foret per intrinsecas rationes minus probabili, adhuc ex motivo extrinseco juxta Mercorum fieret probabilior, imò moraliter certa.

11. Inferes secundò. Usus sententiæ certò, quamquam minus probabili, etiam esse licitum in articulo mortis: nam articulus mortis ex licito non facit illicitum, & si sententia semel fuit prudens, secunda, & remota à periculo offendendi DEUM, erit etiam talis in articulo mortis. Ideo beneficiarius, qui sententiam probabilem secutus, habuit plures præbendas, non est in articulo mortis cogendus ad illarum resignationem: Clericus, qui sententiam probabilem secutus, non restituit, quæ de proventus Ecclesiasticis sibi superflua in profanos usus expendit, non est cogendus ad restitutionem; nec mercator ad rescindendos contractus probabiliter licitos &c.
12. Inferes terciò. Non esse difficile, ut quidam exillimant, reperire, an aliqua sententia sit certò probabili, nec ne? Tres regulas tradit Terillus, & ex illo Erhard in thes. de opinione probab. Prima est: Illa opinio est certò probabili, quæ talis ab omnibus aut plurimis asseritur, nemine

contradicente. Vel si qui pauci contradicant, aliorum tamen rationes non solverunt, nec rationes convincentes attulerunt: tunc enim certa probabilitas talis opinionis manet in possessione, usque dum per argumenta convincentia evertatur. Secunda: Opinio communis, quam frequenter Authores in libris, vel Magistri in Scholis tradunt, tamdiu manet certò probabili, quamdiu nullus probabilem esse negat, nec affert rationes convincentes in oppositum, tunc enim probabilitas certa rursus est in possessione. Tertia: Illiteratus & indoctus illam opinionem potest habere pro certò probabili, quæ ipsi tanquam vera vel certò probabili suadetur à viro docto & probato, & nihil aliud occurrit in contrarium. Nam ad prudens judicium certæ probabilitatis id sufficit in homine illiterato, quod sufficit ad prudentem fidem; sed autoritas viri docti ac pii sufficit ad prudentem fidem, ut aliàs dictum: ergo.

Inferes quartò. Sententiam benignam non esse à carne & sanguine, & concupiscentiæ fovendæ inventam, sed à Spiritu S., quia, quod majori Ecclesiæ parti probatur, & ab illa in praxim deducitur, probabilis est à Spiritu S. seu Spiritu Veritatis, à quo omnis rationabilis cogitatio & pro conscientia formanda ratiocinatio sumit exordium: atqui talis est sententia benigna: ergo. Non item à Spiritu Veritatis & Charitatis edoceri, nec tantum vel probabilem [ut optimè advertit Herincx. disp. 4. de conf. q. 3. §. 1. n. 26.] opinionem securi sunt rigide sententiæ Authores, quando benignæ probabilitatis Patronos, viros doctrinæ & pietate conspicuos, laxones, palpones, novatores appellarunt, aliisque, quæ referre piger, convitiis; non minus in veritatis, quam charitatis Christianæ præjudicium onerarunt.

ARTICULUS IX.

An liceat contra propriam sententiam sequi, vel consulere probabilem oppositam?

SUMMARIUM.

1. Licet contra propriam sententiam sequi oppositam probabilem.
2. Nec propterea simul stant in intellectu judicia contradictoria.
3. Licet aliquis dat consilium secundum alienam sententiam probabilem.
4. Nec propterea loquitur contra mentem propriam.
5. Idem dicendum de Confessario.
6. Monitum pro Confessario.
7. Penitenti contrariam sententiam probabilem renenti à Confessario non potest denegari absolutio.
8. Index licitè sequitur sententiam alienam, quæ aquir apparet.

§. I.

Resolutio affirmativa.

1. **CONCLUSIO.** Licet contra propriam sententiam sequi oppositam, quam quis judicat verè probabilem. Ita Dom. Sorus, Thomas Sanch, &

in Decal. c. 19. n. 14. citans plurimos Authores. Eandem ut probabilem admittit in exercenda potestate clavium, & exemplificat per Adrianum V. superius relatum & Joann. XXII. Sinnichium §. 260. Contrariam tenent Esparza & Scildere.

Ratio est: Ille licitè operatur, qui habet & sequitur judicium certum practicum de honestate suæ operationis: sed qui operatur secundum sententiam probabilem, quam speculativo vel habituali judicio æstimat esse falsam, potest habere certum & practicum judicium de formali honestate suæ operationis: ergo. minor probatur: quodocunque adsunt principia sufficientia, ex quibus formalis honestas alicujus operationis potest inferri, tunc potest formari certum judicium practicum de tali honestate: sed si sententiam ex propria opinione, & judicio speculativo talem contractum esse licitum, si non esse licitum, adsunt principia sufficientia indirecta vel reflexa, ex quibus potest inferri formalis honestas talis contractus